

patronus calumniae contra innocentiam, rei tamen, in qua uersamur, apprime peritus. Cuius quidem orationem nesciremus, nisi historiae sacrae inserta esset. Quam cum non sine admiratione artificii legamus, relinquamus auctori eius peruersum artis suae usum, reiecto autem emendatoque hoc uitio, id, quod in arte ipsa bonum est, retineamus. Prodeat igitur ex Actuum Apostolicorum Capite XXIV in medium Tertullus, Orator, uti docebitur, dicendi scientissimus, nec humanae indolis negligens, ac corroborandae adeo sententiae nostrae accommodatus. Quem quidem, ut suo quodque loco dicatur, primo tanquam Oratorem, deinde ut Oratorem ex ingenio Felicis dicentem, consideremus

SECTIO I

DE

TERTULLO ORATORE

I

Tertulli nomen in historia Romana frequens est, ac magnae saepe dignitatis. Tertulli, equites Romani, Aediles, Consules, Praefecti Urbis, Praesides prouinciarum, aliis functi Magistratibus, de quibus Io. Glandorpius, et alii passim. Tertullae etiam plures, ut Cassii, M. Crassi, paterna auia Vespasiani Imp. aliae, apud Tranquillum, alios. Apud Thomam Reinesium Tertulla quaedam Vxor legitur, in antiquo lapide, Classis Undecimae num. XCI. p. 699. Tertullorum igitur nomen, ut tritum Romanis, sic uario honorum genere notum. Ecquis autem hic, qui cum agimus, fuerit, alii dicant. Tertullus adulter narratur, qui

D

cum